


KNY-18-00333

~~Letter 62~~

Letter 62



62.

M A R I A

VIRGO FIDELIS,

QUIA

Stetit VERBO ;

V E R B O

QUOD UTERO SUO IMMACULATO
De Spiritu Sancto concepit,

HUIC

IN SPIRITU SANCTO CONCEPTA

Nunquam rebelli voluntate contraivit ;

Indè

Primò Conceptionis momentò

Infidelitatem Adæ exosa,

PRÆCEPTI DIVINI CUSTOS MANSIT

Ï M M A C U L A T A :

CORAM

REVERENDISSIMO, AC CELSISSIMO

P R I N C I P E

DOMINO DOMINO

JOANNE MAURITIO

G U S T A V O ;

DEI Gratiâ Archi-Episcopo Pragensi,



Sedis Apostolicæ Legato Nato, Sacri Romani Imperii Principe, Comite de Manderscheid, Blanckenheim, & Geroldstein, Libero Barone de Junkerath, Domino in Bettingen, Daun, & Erp: Sac. Cæs. Regiæq; Cathol. Majestatis Consiliario Intimo, Actuali, Inclyti Regni Bohemiæ Primate, Ecclesiarum, Metropolitanæ Colonienfis, & Cathedralis Argentinensis respectivè Præposito, Seniore, & Thesaurario, Insignis Ecclesiæ Collegiata ad S. Gereonem intrà Coloniam pariter Præposito, nec non Antiquissimæ, ac Celeberrimæ Carolo-Ferdinandæ Universitatis Pragensis, ac Almæ Colonienfis Amplissimo,

Perpetuòque CANCELLARIO;

ILLUSTRISSIMIS, REVERENDISSIMIS, ac EXCELLENTISSIMIS
REGNI BOHEMIÆ PROCERIBUS,
REGIISQUE LOCUMTENENTIBUS,

KNY-18-00333 *Nec non*

SENATU, POPULOQUE ACADEMICO,
SUB RECTORATU

Prænobilis, Generosi, Clarissimi, ac Consultissimi Viri

D. WENCESLAI XAVERII

NEÜMANN DE PUCHHOLTZ,

J. U. Doctoris, Sac. Cæs. Regiæq; Cathol. Majestatis Consiliarii, in Alma, Cæsarea, Regiæque Universitate Carolo-Ferdinandea Pragensi, SS. Canonum Professoris Regii, Publici, ac Ordinarii, in Inclyto Regno Bohemiæ Regii Fiscii Adjuncti, & Advocati Jurati, Facultatis Juridicæ Senioris, nec non Eiusdem Universitatis Pragensis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI,


IN BASILICA TEYNENSI

**Inter Anniversaria Jurisjurandi pro Immaculata DEI-Paræ
Conceptionis Solennia**

Panegyricè propofita

à Reverendo, ac Eximio Patre, P. CHRISTIANO SCHARDT, è Societate Jesu, SS. Theologiæ Doctore, Eiusdemq; in Alma Carolo-Ferdinandea Pragensi Universitate Professore Regio, Publico, ac Ordinario,
Anno à Partu Virginis M. DCC. XXXIV. Die Decembris.

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferd. in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem.



ORATIO.



A B exordio laudum Marianarum ad pedes delabitur ancillatura Virginis: Oratio! pedissequa est: triumphalibus plantis Servam adrepere oportuit; indiga verborum: dum de Illa conceptum parturit, quæ Verbum genuit inefabile, vel initio dictionis ad calcem venit. Ad pedes delabitur ancillatura Mariæ Oratio! Atalantæ more viâ mandatorum relicta post pomum procurri, ad petram scandali offendi, in capite infelix nepos cecidi, claudus pede ad coronatum Virginis verticem non assurrexi. Ad pedes delabitur ancillatura Mariæ Oratio! in capite aliis nascatur Pallas, mihi acephala, tota pedestris est; caput Adæ damno, primum Virginis vestigium maculæ expers, propugnatum eo. Et verò in hoc æmula pietate Sponsi cœlestis sequor sive exempla, sive imperia: Panegyres ille Virginis non orditur descendendo à vertice, sed ascendendo à pede; pes illi mensura laudum, nec satis argutè Epithalamium suum procursum autumat in encomia Sponsæ, nisi Epilogus Virginis, pes, inquam, primas teneat à capite: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis*, (a) quæ primo ortu, ceu Aurora, aurea illa diei puerpera, progredieris, quæ primo vix & vitæ vestigio vigilem noctis oculum lunam suppedaneam nancisceris, quæ vix nata, sideribus nota, totum cothurnum cœlo imprimis: *quam pulchri gressus tui!* hæc summa Elogii! At at ô dulcis Sponse! non te rapit bis senis circumfluis sideribus, ceu totidem virtutum monilibus, coruscus Virginis



(a) Cant. 7.
v. 1.

vertex ? hunc admiror, non rapior; non frontis, modestiã plana-
tã, niveus pudor ? suspicio, non capior; non vigiles oculorum spe-
culã in sidera porrectã ? his vulneror, non captivor; non labiorum
gratia, non magnanima hospes puellaris pectoris constantia ? utro-
que non vincolor; una pedum arridet elegantiã, una placet ma-
jestas calceata; quã pulchri in calceamentis gressus tui hæc sum-
ma Elogii ! Verum enim verò quid sibi vult, quod Verbum æter-
num olei instar in encomia Sponsã profusum pedes, non caput sua-
vi laudum lenocinio liniat, affectusque suos à summo ad ima de-
ducat ? Dicam, quod sentio: Apelles DEUS est, qui artifice peni-
cillo pulcherrimam Trinitatis imaginem in membrana Virgine for-
mavit, dum Mariam luci primulã exposuit, atque nè Momos, Sanda-
lia fugillantes, nancisceretur, primum vestigium laudavit, *quã
pulchri gressus tui*, hæc summa Elogii ! Non deerunt, ratiocinabatur
Sapientia falli nescia, qui Virginei Corporis, animique exaggera-
bunt charites, extollent pulchritudines; Caput alii astris inferent
in Assumpta, collum, traducem illam viam, defluam in meliorem
mortalium vitam in Neo-nata, manus hyacinthis plenas in Matre
divite Gratiarum ab Angelo Salutata, brachia Agnum pro peccato
in atria Domini bajulantia in Purificata, solos pedes, primum vitã
vestigium, ceu luto paterno impressum, criminabuntur in Conce-
pta. Eja itaque à pedibus laudum carmen texamus, speciosum Fi-
liã Principis calceamentum vulgemus, *quã pulchri gressus tui*, hoc
caput Elogii ! Et quã bellè & Ego in Sponsi sententiam abeo,
namque DEUM immortalem ! Illiusne calcaneum iniquitas cir-
cumdederit, quã priusquam virulento atpidis morsu petita, serpen-
tis caput protrivit ? Illãne primo vestigio compedem inferni ca-
ptiva induerit, quã redemptionis humanã lytrum progenit. Illius-
ne pes spissa peccatorum nocte inforduerit, cui solem pro solea Nu-
men appinxit ? Illãne miserando per devia lapsu ceciderit, cui læ-
vam, ut staret, Verbum supposuit ? Stetit imò Virgo, nec unquam
virgam Jessea radice, ceu pede propululantem vermis conscientiã
arrofit, quã fructum benedictum orbi maturavit; stetit Virgo fi-
delis vel primò conceptionis momentò, stetit Verbo. Verbum de
Spiritu Sancto fœcunda genuit, Verbo in Spiritu Sancto concepta
nec primò vitã rudimentò contraxit; stetit Virgo, & quia fidelis,
stetit Verbo. Et hæc basis argumenti mei est Reverendissime,
Celsissime Princeps, & Archi-Præsul; Reverendissimi, Excellentis-
simi,

simi. & Illustrissimi Proceres, Locumtenentes Regii, cui in maculatos Virginis conceptus superstruo : Intaminatam dabo Matrem, quia fidelem, præservatam à lapsu originario, quia stantem Verbo; quaternis abhinc annis Primam Gratia Locumtenentem dedi, Matrem Vestris ô Patres Patriæ subfelliis miscui; Statione illustri Viraginem non eximo, quin imò Locumtenentem Gratia roborabo, quia fidelem dabo. Fides & fidelitas prima Munii Vestri virtus est, huic Sapientiam fœderatis, atque gemino hoc pede ceu Herculis columnis felicitatem Reipublicæ firmatis. Annosa Vestra est fidelitas, perennat in obeliscis, vivit in monumentis! Martinizios testor & Slavatas, grandia nomina, imò Patriæ Numina! qui furore hostium in præceptis acti cadere non potuerunt, quin assurgerent in statuas! Avorum gloria vestra loquitur facinora, quæ passi illi, Vos agitis, quin imò agendo & patiando viva fidelitatis imago estis. Vestram ergo denuo Matrem accipite, Immaculatam, quia stantem fidelitate. Sed & Vos Magnifice Domine Rector, Spectabiles Decani, Eximii, Clarissimi, Excellentissimi, Doctissimique Seniores, Professores, & Doctores, Senatus, Populæque Academice, in meam nunc quidem pedibus, deinceps etiam jurejurando manibus abite sententiam; absit Viraginem metiamur pede nostro, quæ nuspiam non fidelis, nunquam in capite cecidit, semper stetit Verbo.

Nox erat, & tacitis errabant astra tenebris, dum architectrix Numinis Sapientia Virum emolliret, atque è Proto-parentis costa, ossuariam illam humanitatis, mulierem ædificaret. Quis enim solem cælo præcipitem abneget, dum universum genus hominum in capite soporatum in utramque aurem stertens videt? Lucis diurnæ nè segmentum horizonte superfuerit, posteaquam lucis vitalis primordia somnò tam festinò Adam emunxit. Inter atrum ergo tenebrarum luctum altum dormit Adam; silentium! quies omnis nocte concubia à Viro absumi debuit, ut mulier parturiretur, fomes inquietudinis, & turbarum! Et verò papæ! in quam spissitudinem infamis hæc vespera adolevit? Mulier vix nata, jam nocti nota, sermones non alteri miscet, quàm tenebrioni personato serpenti; vel ex materie horrentem metiamur umbriam, scilicet de arbore scientiæ differunt, ut *nox nocti indicet scientiam*; (b) *Psalm.* (b) ipsum lumen rationis crederes penè extinctum, posteaquam in 18, v. 3. iplo Veritatis æternæ Verbo, nè forte moriamur, (c) fatua mulier con- (c) *Gen. 3.*

cepit dubium. Hic ego non abs re totis artibus perhorresco, atque n̄ præfaga mali me mens fallat, submetuo, nè novelli viatores Cimieria hac errantes à fideli mandatorum divinorum tramite devient, atque toto, ut ajunt, cœlo à stipulata Numini fide aberrerent;

(d) *Gen. 3. v. 5.* quid enim nox illa, quâ umbram Divinitatis, *eritis sicut Dii*, (d) hesperugo infelix Parentibus objicit, aliud præfagiret? quid rebellis spiritus, quô cum longa paraphrasi sermonem miscet mulier, aliud portenderet? Miserandos Majores! pomum non à dracone Colchico, qui vellus aureum custodiat, sed niveum Innocentiæ detrahat, pomum, inquam, petulanti manu à dolosa muliere porrectum Adamprehendit, prehensum abliguriit, & in malo uno ceu pomo Imperii Divini affectato filius tenebrarum fidem fregit, fidelitatem ejuravit, regno & felicitate justò rebellium supplicio excidit. Nec solitarium facinus pro more incelsit, sed totam longè posteritatem ceu conjuratos eadem pœnâ involvens execrando Catilinæ flagitio prælusit. Fidem si periclitamini, revolvite noctem illam, non tam umbrarum peplò atratam, quàm sceleribus horrentem, quâ ferox Catilinæ animus in Patriam ausu nefando insurrexit: tum enim ut socios necessitudine quadam in scelus traheret, cruorem venis suis elicit, nefando crateri liberali vulnere infundit, atque ut consanguineos sceleris sui mercetur, bibendum singulis ferale poculum porrigit. Quid verò aliud Proto-parens egit? O! cruentis plorandam lacrymis, quâ concipimur, noctem! quotquot sanguinem Adæ bibimus, fidem juratam Cœlo, fidelitatem DEO, orco fœderati abjuramus; hinc illæ lacrymæ! quibus exules filii Evæ casum nostrum ploramus, rebellem non modò spiritui, sed & DEO carnem accusamus. At at nemône posteriorum Adæ suxit sanguinem, quin sugeret & saniem? nulline tradux à Majoribus concessa vita, quin cognata eidem sint infidelitatis vitia? singuline concipimur tenebræ, nascimur filii iræ? Id enim verò si de filiis concedo, universim de filiabus nego, & pernego.

(e) *Prov. 31. v. 29.* Est enim verò inter filias, *quæ supergreditur universas*, (e) quæ noctem peccatorum non sensit, est *Ancilla Domini*, (f) quæ pomum

(f) *Luc. 1. v. 38.* Imperii non affectavit, quæ non minùs legum quàm Verbi præordinata Custos, fidem non ejuravit, verbò: est Maria Virgo fidelis, quæ Verbo stetit. Quomodo enim, bona Numina! lucis & vitæ bajulam tenebræ comprehenderint? nunquid Mulier fortis est?

(g) *Prov. 31. v. 18.* *Non exstinguetur in nocte lucerna Ejus*; (g) quomodo in Verbo ad petram

petram scandali offenderit, nunquid Petram, quæ Christus est, genuit? nunquid pedem Viraginis sidus nocturnum allambit, *luna sub pedibus ejus*; (h) quomodo in viri rebellis pactum descendet, quæ de Spiritu Sancto concipiens Virum non cognovit? quomodo hostibus fœderari potuit, quam Dominus in initio viarum possedit? quomodo infidelis inferni obses sit, quæ ab æterno Mater DEI præordinata fuit? cujus mamillam labia suxere impolluta, hæc tuber peccatorum fuerit? cujus sanguinem Filius calici redemptionis miscuit, hæc inferni Catilinæ craterem biberit? Illane, quæ Regina à dexteris adstitit, lubricum pedem in vomitum maternum imprimens, ceciderit? quin imò Cælum Virgineum juro, Verbum Divinum testor; Maria perjurii nescia, Virgo fidelis Verbo stetit. Non appello hic Pontificum oracula, quibus nil sanctius, non Conciliorum vota, quibus haud quidquam firmiter, non Universitatum studia, quibus quid solidius? Non patrata utroque orbe thaumata, quibus nihil evidentius, unum appello Verbum, quò Virgo stetit, illudq; ex Davidis Oraculo Divinum: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis.* (i) quodsi lucerna pedum virgineorum est Verbum, nunquid primum Virginis vestigium illustravit? si illustre reddidit, quomodo noctem peccatorum sensit? si noctem peccatorum non sensit, quomodo infidelium umbras sectata cecidit? subinfero: igitur Virgo noctis expers Verbo stetit; & *lumen semitis meis*: cur non trivio? occur semitis? Viragini gratulemur Mariophilii! Nos nempe primo conceptu hostes DEI, hœstia inferni, lutetias peccatorum, viam spatiosam erroneas nocturni ambulamus, Maria semitam elegit, *lumen semitis meis*, tramite recto viam mandatorum decurrit, ad lapidem non offendit, semper fidelis Verbo stetit; nox nocti scientiam indicavit, Maria uni Verbo, obumbrante Spiritu Sancto, paruit, *dies diem eruffavit*, Verbum genuit, Verbo firmata semper fidelis stetit. Premamus argumentum: Maria Verbum genuit, igitur primo animationis instanti fidelis Verbo stetit. Et verò dum Virginis Verbo gravidæ benedictum attendo uterum, novum mihi tueri videor Cælum; quid enim verò est Cælum? Cælum dum ajo: cogitate Divinitatis centrum, quo quid augustius? æternitatis risum, quid illo dulcius? Omnipotentis sedem, quid illa gloriosius? Cælum dum ajo: incomprehensi abyssum invenio, & perdor; intimum Majestatis cubile subintro, & percel-

(h) Apoc.
12, v. 1.

(i) Psalm.
118, v. 105.

lor;

lor; excellentiæ æternaturæ thronum suspicio, adoro! latreutica
veneratione inclinor. Est Cælum deliciarum torrens, tempe ri-
dentium, centrum purissimarum consolationum! atque illud dum
paraphrasi longa gemino, nunquid Viraginem, nunquid Matrem
DEI appello? Est imò Maria Cælum novum, quæ æternum fe-
cit Viatorem, & dedit hospitium; quæ peperit Parentem omnium,
& dedit Creatori uterum; quæ Regem sæculorum concepit, &
in tempore dedit Majestati imperium. Nega, si potes, Antima-
riophile Verbi-param Cælum, quæ insedit Cœli Dominum? quòd
si Cælum Virgo fuit, nunquid sorde originaria inquinari, pecca-
torum nocte potuit atrari? Scabellum nunquid æternum Cœlo
extorris luciferi fuerit, quæ penetraculum Numinis audit? Ri-
sum teneamus amici! Arcam & Dagon pudendò vitio confun-
dimus si abominationem in loco sancto superstruimus; Cælum
illud purissimum Divinitatis est tabernaculum, quo nîl subintrat
coinqnatum, Illa Gratix Sedes, cui perpetuum cum scelere dissi-
dium, Illa Civitas lucidissima est, quo nox non propinquat pecca-
torum. Utamur exemplò: surrexerunt resupina ex suis cineri-
bus multa corpora Sanctorum, dum Theander è cruce pendulus
sacratissimum in manus Patris emitteret Spiritum; Cur ità? cre-
do: ut demortuo Servatoris corpori cederent tumulum, suum
quisque certatim reliquit sepulchrum; at ô errorem pium! incas-
sum isthæc sanctiori cinere animati Phœnices molimini; recusat
Corpus JESU loculum, sceletò, quod vermem sensit, pollutum,
nec recondi vult, nisi in novum de petra excisum. Vestram nunc
ego fidem Mariophili! si Numinis consilio, imò proposito (nihil
enim fortuitum cum Servatore actum) si Numinis proposito cor-
pus exanime, nulla tabe putridò recondi monimentò noluit, nun-
quid hospitem infernum in Cœlo Mariano, quo non sacras exuvias
triduo, sed mensibus novem Theander delituit, passus fuerit? Vi-
deo piam mentem vestram: vel meminisse hæc refugit; ergo Cœ-
lum Marianum nullo scelere pollutum vel primò conceptus mo-
mentò fidele perennavit; at enim nondum satis: si Cælum Ma-
rianum sinè labe intactum, sinè corruptela peccati firmum consti-
tit, quis firmavit? quis solidavit? unum id Verbum, quod Mater
de Spiritu Sancto concipiens intacta genuit, unum id Verbum, cui
in Spiritu Sancto concepta Parens æternum præordinata est, u-
num

num id Verbum, Davidis denuo appello Oraculum: *Verbo Domini*
cæli firmati sunt. (k) egit, ut fidele itaret, fecit. Stetit Cælum (k) *Psal. 32.*
 Marianum, atque ut stare posset, caput humani generis exosum to- *v. 6.*
 tum prius in pedes abiit: *Vidi Jerusalem novam descendentem de*
cælo; (l) stetit Cælum Marianum, Verbo, per quod facta sunt om- (l) *Apoc. 21.*
 nia, in pensilem firmamenti nubem solidatum; stetit Cælum Ma- *v. 2.*
 rianum à contagio originariæ labis incorruptum. Posuerit in
 Cælo veterator stygius os suum, fauces serpentis victrix planta e-
 listit; nè ruinam minaretur, Urbs Virgo vetuit! Stetit Cælum
 Marianum, & quia Verbum intaminatis uteri laribus suscepit, Ver-
 bo stetit. Et verò si secundissima Verbi carnem induti, Gene-
 thlia pensiculatius rumino, nã ego Immaculatæ Matris n undissi-
 mum pedem ultra Herculis columnas in fide jurata stabilio. Ad-
 venerat optatissima illa plenitudo temporis, quã irarum satur Nu-
 men non modò cælos vecte adamantino hucusque occlusos per-
 rumperet, sed etiam positus furoris jubis Leo de tribu Juda in
 Agnum mansuescere in sinu Virginis vellet; jãnque Aliger Nun-
 tius nubium provectus Effedò Cælis demittitur, & quia Spirituum
 ire, est pervenire, momento eodem florentissimam Nazareth do-
 mum ingressus legationem à salute orditur: *Ave gratia plena!*
 (m) DEO sæcunda, Immenso gravanda! post plenitudinem san- (m) *Luc. 1.*
 ctitatis abundabis gratiarum oceanò: *Dominus tecum;* in tempo- *v. 28.*
 re æternum concipies Verbum, Fœmina circumdabis infantem Vi-
 rum. Sed hem! vix verba pro Verbo Orator Angelus promit,
 genas Virgineas pudor inambulat, occupat artus tremor, animus
 concutitur, Virgo turbatur; turbatur? dum Gigas DEUS ad cur-
 rendam viam exultat? turbatur? dum laudes aliger Chorus ge-
 minat? turbatur? posteaquam limbi siccantur lacrymæ? Ulula-
 tus quiescit fremebundæ terræ? Et quomodo æstu cogitationum
 abrepta turbari nequit? ratiocinemur pro Virgine: Si gratia ple-
 na audio, quomodo gratiæ primæ expers concipi potui? si Domi-
 nus mecum, quomodo stygi relicta, Averno mancipium succubui?
 si *Benedicta inter mulieres* vulgor, quomodo, par reliquis, maledicto
 obnoxia fui? aut erras Orator Angele, aut suspectam cave reddas
 Virginem de ejurata semel fide! Hæc ego: quid Virgo? *quomodo*
fiet istud? Ego Mater DEI audiam, & parricidii rea prius uterò fi-
 lium, originariã noxã pollutum, occidam, quàm luci primæ effun-
 dam?

dam ? Ego parturiam solem, sed infamem pullæ noctis sobolem ? Ego gratiarum Oceanum concipiam, si Venus etiam in hoc mari, litusque idem alliniunt Nymphæ, quod Gratia ? *quomodo fiet istud ?* probrum potius sterilitatis eligo, quàm fructum ventris maculem scelere paterno. Mater si eligor, patrem in terris renuo, *Virum non cognosco*, (*) Ità sollicita Genitrix perorabat pro Filio, ut immaculatus nasceretur primò vitæ momentò ; nec priùs in pacta Angeli verbò : *fiat* descendit, nisi posteaquam de Spiritu Sancto se concepturam intellexit ; Verbum igitur, naturâ sanctum, etiam voluntate Matris immaculatum, Verbo Mariæ stetit ; quòd si Mater in Filium pia adèd viscera habuit, Filius Matrem noxa involvi siverit ? in fide periclitantem non manutenuerit ? à lapsu originario non tutaverit ? Verbo Maria fidelis non steterit ? nã tu mihi misericordissimam Numinis bonitatem in barbariem efferas, quisquis Matrem adèd in Filium fidelem, Nati neglectu sub jugo itygis gementem, caducam, vel primò conceptus momentò obstinatus propugnans. Ego certè meliora animis volvens juratoriam tesseram antevolo, palàmque sanguine subscribo : De Spiritu Sancto Mater concepit, nec aliter concipere voluit, igitur in Spiritu Sancto concepta fuit, semper fidelis Virgo Verbo stetit. Et quomodo infidelis audire potuit ? scio rebellibus stata Jure supplicia, ut eorundem ædes flammâ vindice exurantur, atque sale aspersa Tellus, sterilitatis probrum, excretur ; aliudne actum, posteaquam in pacta rebellis spiritus personati serpentis descendit caput humanum ? ruit tunc in favillam mundus, in malo igne positus, fomite peccati infamis, ex quo Adam non tam decerptum ex arbore malum, quàm malam ilam granatam in ædem corporis humani trajecit ; tunc enim quisque Adamo Ucalegon proximus arsit, atque in miserandum cinerem domus universa abiit ; quin imò quid ajo universa ? ad pedes usque Virginis flamma serpsit, pedem, ædificii *fundamenta in montibus sanctis* (n) radicata non attigit. Ambigitis ? Moysis ostenta revolvite, & nisi erro, manum dabitis. Minabat pastoritiâ virgâ ad montem Horeb villosum gregem Moses, & hem inquit, quæ cælum mecummet ludit miracula ? quæ ostentat portenta ? vigilo ? num Morpheò abreptus somnio ? flammantem circumquaque rogam cerno, sed sinè busto, Rubum ardentem tueor, sed virente ramo, incendia suspicio, sed frutice in-

con-

consumpto ; grande thauma ! infuetum ludunt portentum astra ;
 sed enim, ruminabat secum Moyses , quid ista eminus tueor ? cur
 non propinquo ? *vadam, & videbo.* (o) Verùm vox Numinis fe- (o) *Gen. 45.*
 stinos gressus reprimit, ardoremque viatoris compescit ; sta Moy- *v. 28.*
 ses, nè appropia ; itane ? magnalia DEI visurus eo ; sta, nè ap-
 propia ; siccine ? adoraturus latreutico poplite venio ; sta, nè ap-
 propia ; itane ? Israëlì cætera duro & incredulo brachii tui po-
 tentiam vulgaturus propero ; sta, nè appropia ; quæ causa ? ad-
 dubitabat Moyses, (sensa Patrum loquor) Rubum flammæ medium
 esse, illasúmque servari posse ; Rubum à noxio igne servatum
 Verbi parentem fatidico spiritu prænovit, de veritate anxius rem
 oculis periclitari statuit. Sta Moyses, nè appropia, indignus vide-
 re cominus miracula , quæ eminus prospiciens negâsti portenta.
 Sed quis amabò pabulantis flammæ avidam esuriam compescuit ?
 quis dentem voracem, nè Rubum incombustum Immaculatæ Vir-
 ginis symbolum depasceretur, infregit ? Istud enim verò mons
 Golgothæ planum dabit : agebat in pulvino spinarum grandem
 animam Cruci suffixus Theander, vixque hanc Angelorum mini-
 steriò in manus Patris dedit, papæ ! armatus Longini furor cor Ser-
 vatoris, penetrabile illud Divinitatis, hasta feroce aperuit, atque lar-
 gissima flumina sanguinis & aquæ latere prolicuit : *continud exiit*
sanguis & aqua ; (p) Sanguis & aqua ? rosane commista tueor li- (p) *Joan.*
 lia, campis Austriæ assymbola ? purpuræ sociata sit lacryma ? venis *18. v. 34.*
 stillantibus rorans unda ? sanguis & aqua ? quid istud portenti ?
 Gemini nempe ponè crucis stipitem stabant, quos signabant isthæc
 thaumata Joannes & Mariâ : stabat in Joanne mortalitas in cine-
 rem resupinata, huic, ut vitam daret, sanguinem dedit ; stabat Ma-
 ter à busto Adami servata, illud manante ex latere unda, nè in Vir-
 ginem serperet filiali pietate exstinxit ; *sanguis* (sensa sunt Melli-
 flui) *sanguis nos redemit, aqua, ignes, nè serperent, restinxit.* (q) *Restinxit, nè deflagraret Domus aurea, restinxit, ut illasum servaret*
 pedem, Virginis fundamenta ; restinxit, ut præsignati Rubi vulga-
 ret miracula, *Rubum enim incombustum conservatam agnovimus tuam*
laudabilem Virginitatem, canit Ecclesia ; restinxit, ut Verbo staret
 fidelis etiam primò vitæ momentò Mariâ ; fluxerint vitæ ostio ma-
 nanti in aqua & sanguine Sacramenta , Sacramentum non mini-
 mum in Nilo hoc Divinissimo Immaculatam Parentem ostentavit

promanans pio latere unda. Atque Sacramentum hoc à sæculis
 hucusque absconditum, ut luci vulges, tuum est Corsinorum ocel-
 le, pupilla Ecclesiæ ! reduc siparium ! concede Virgini, quod huc-
 usque pietas nostra contexuit, fidelitatis balteum ! statuam gran-
 dem Virgini Phidias Divinissime posuisti, si stantem primo conce-
 ptu Virginem è Petri Cathedra pronuntiâsti. Ad Te nunc ô Vir-
 go ! cujus pedem in conceptu tuo ceu utero adversariis colluctan-
 tem alter Jacob tenui, ad Te ô Virgo ! unum mihi est votum, prius-
 quam de Immaculato Conceptu tuo dicatur Votivum: Stetisti Vir-
 go ! Patriam bellis collabentem erige ! Casarem, cujus symbolum:
CONSTANTIA & FORTITUDO, ab hostium furore fortiter de-
 fende, constanter tutare ! audiat Pater Patriæ in Filio, regnet in
 Nepotibus, sero omnium solatio ! Stet Austria in orbe ultima nun-
 quam ruituro Imperio ! Stetisti Virgo : Celsissimi Pedum in seras
 sæculorum Orbitas firma ! diu vivat jugi ovium solatio ! diu vi-
 vat maximo Patriæ, fidei Minimæ Societatis voto ! diu vivat Re-
 gni universi expectatissimo emolumento ! Canescat Insula, &
 Pedi tuo devota Archi-Præsulis Viola efflorescat subinde Eminens
 Rosa. Stetisti Virgo : fidißimos Regni Proceres, ceu Reipublicæ
 Bases annis robora, pietate, & sapientiâ solida, felicitatis & gloriæ
 impertire incrementa ; Mater esto Patriæ Patribus, Præsidiaria,
 Juris & Justitiæ Tutoribus ! Stent felices absque casu, glo-
 riosi assurgant sinè lapsu ! Stent ! donec canescentibus annis in
 atria Domini prodeambulent. Ego qui hucusque pro Virgi-
 neo pede steti, ambonâ cedo, atque jurata honoribus
 Immaculatis victima ad pedes Virgineos cado.

D I X I.





